



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Œcumenica Cathedræ Apostolicæ Avthoritas**

**Reding, Augustin**

**[Ort nicht ermittelt], Anno M.DC.LXXXIX.**

§. I.


**urn:nbn:de:hbz:466:1-38717**

secum affert auctoritatem ipsam, hominibus imperandi, & res ipsas pertractandi jure suo, alijs etiam dissentientibus.

93. Hinc ergo pro nono videamus, an huic doctrinae perspicuae, quam haecenus exposuimus, dissonent, an concinant S. Cypriani verba, quae sunt hujusmodi: *Loquitur Dominus ad Petrum: Aedificabo Ecclesiam meam, & portae inferorum non vincunt eam; & tibi dabo claves regni caelorum; & quae ligaveris super terram, erunt ligatae & in caelis; & quaecunque solveris super terram, erunt soluta & in caelis.* Et iterum eidem post suam Resurrectionem dicit: *Pasce oves meas.* Super illum unum aedificat Ecclesiam suam, & illi pascendas mandat oves suas. Et quamvis Apostolis omnibus post Resurrectionem suam parem potestatem tribuat, & dicat: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos; accipite Spiritum Sanctum: si cui remiseritis peccata, remittentur illi; si cui tenueritis, tenebuntur;* tamen ut unitatem manifestaret, unam Cathedram constituit, & unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit. Hoc erant utique & caeteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio praediti, & honoris, & potestatis; sed exordium ab unitate profectus. Primatus Petro datur, & una Christi Ecclesia, & Cathedra una monstratur. Et Pastores sunt omnes, sed unus grex ostenditur, qui ab Apostolis omnibus unanimi consensione pascuntur. Et infra: *Hanc Ecclesiam unitatem qui non tenet, tenere se fidem, credit? qui Ecclesiam renititur, & resistit, qui Cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse, confidit?* Num forte per haec verba relinquatur dubitatio, an ex Cypriani sententia S. Petrus, ejusque Sedes summum in Ecclesia Dei principatum obtineat? An se junctio ab ijs, qui in ea sedent, quoad conjungi cum hujus communione? Quod si cui fortassis in mentem veniret, Cypriani sententiam esse, supremum Petri Principatum, imperijque unitatem in eam tantummodo praerogativa fuisse sita, quod Petrum Christus ante alios nominaverit, quodque ab unico ex rectoribus fuerit incepta numeratio, constituta nihilominus postea integra aequalitate, atque regendi libertate inter ipsos, eorumque successores; insipientem profectus differendi rationem ex sapientissimo illius egregij Doctoris ore depromeret: perinde quasi satis sit, ut unitas Principatus constituatur, multorumque gubernatio tollatur, si supremi Rectores atque Collegae post alium alius deinceps, & non omnes unica locutione nominentur.

94. Pro decimo & postremo concludere jam licet, S. Cyprianum aperte contradicere Suavi ac Elliesio. Etenim si a Cypriano docemur, unum esse Episcopatum, cujus parrem suam quicumque Episcopos obtinet in solidum, dum multos Episcopos aequiparat multis radijs, qui tandem unum solis lumen efficiunt, multisque ramis, qui eundem omnes vigorem trahunt ab eodem trunco, haec planè exempla Suavis doctrinam oppugnant. Unus est solis radijs num forte ad illu-

minandum transgreditur locum ab alio illuminatum? Unus ramus alterius frondes ac folia enutrit? Quid plura? Nonne deseritis verbis mentem suam explicat Cyprianus? *Unus, inquit, est Caput, una origo, & una mater.* Haec est unitas, quam ille affirmat in Ecclesia, unitas Ordinis in singulis aequalis, & quae singuli redduntur idonei ad exercenda ubique locorum Episcopi ministeria: unitas Capitis, hoc est, Petri, ejusque Successorum, in qua Christus fundavit Ecclesiam, & cui perstant innoxiae omnes hujus Regiae columnae, non verò Dioceseon confusio.



## DISQUISITIO VII.

Quid auctoritatis habeat Romanus Pontifex circa Beneficia & Bona Ecclesiastica

S. I.

NEQUE hanc disquisitionem absolute, sed sub respectu ac relatione ad Gallia Regnum hic tractare, est nobis animus, ideoque praemissa Divi Thomae hanc in rem sententiam, reliquam causae hujus discussionem ex unico Auctore tractatus de libertatibus Ecclesiae Gallicanae cit. lib. 6. cap. 10. ob lectoris oculos ponere intendimus. Doctor itaque Angelicus 2. 2. q. 100. art. 1. ad 7. docet, penes Summum Pontificem directionem esse bonorum Ecclesiasticorum, non autem dominium. *Quamvis enim, inquit, res Ecclesiae sint ejus (Summi Pontificis) ut principalis dispensatoris; non tamen sunt ejus, ut Domini, & possessoris.* Quem locum sic commentatus est Cardinalis Cajetanus; *Nota, quod, cum potestas Papae quoad res temporales Ecclesiae non sit potestas Domini, sed dispensatoris, consequens est, ut plenitudo potestatis Papalis circa bona Ecclesiae temporalia non exeat limites potestatis dispensativae, &c.* Et inferius; *Ex eodem quoque fundamento, scilicet quod Papa non est Dominus, sed dispensator, sequitur, quod de plenitudine potestatis non possit ad libitum dare bona Ecclesiae, nisi voluerit, aut consanguineis, &c. sed teneatur fideliter dispensare, ut recta ratio suadet, juxta illud: Hic jam quaeritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniat. Et rursus: Fidelis servus & prudens, quem constituit Dominus super familiam, ut det illis in tempore tritici mensuram, & non ad libitum, quantum volet.*

Quo praesupposito, praeterea Auctor à n. 6. ita disserit: longissimè, inquit, inter se distant bona sacra, & prophana, licet utrorumque solam dispensationem hominibus conceditam doceant sancti Patres. Ita in omnes usus non prohibitos expendi possunt, quantum est ex ipsorum conditione. Quod addo, quia ex hominis affectu in eo sapissimè peccatur: sacra verò nisi in operibus verè pijs, & sanctis insumere, nefas est. Hoc nomen ipsum manifestè significat; sanctum enim,

enim, aut sacrum idem est, quod ab omni usu profano semotum & cultui Divino mancipatum, sive immediatè, ut vasa sacra, quibus ad peragendam rem Divinam utimur, sive mediatè, ut decimæ, & alia, quibus templa sartatecta, & ornata conservantur, Altaris ministri aluntur, aliaque opera pia perficiuntur.

Licet autem Papa non sit absolutus bonorum omnium Ecclesiasticorum Dominus; tamen quæ rationes à jure naturali, & positivo, Divino & humano ductæ probant, eum, qui Altari servit, de Altari vivere debere, eadem etiam demonstrant, Romanum Pontificem, cum omnium Ecclesiarum sit Primas, cum teneatur, ut illarum Pastores officio fungantur, invigilare, delinquentes corrigere, atque, si peccatum exigat, plectere, illorum jura tueri, aliaque probi Patris, & Pastoris officia exhibere, posse de redditibus Ecclesiarum omnium ea capere, quibus ad congruam suam, Officialiumque sibi collaborantium sustentationem indiget.

Itaque, quamvis certa sint Ecclesiæ Romanæ, sicut & reliquis alijs, bona destinata; sitamen illa non sufficiant, licetibi, quæ deurrunt, ex alijs Ecclesijs conquirere. Ut enim multiplicem personam sustinet Pontifex, ita multiplices sumptus facit; & unius quidem Diæceseos necessitatibus providenti sufficienter fructus inde percipit; at non totum Christi gregem pascendi, atque regenti. Si ergo Reges consumptis dominijs, ut vocant, redditibus, qui proprijs, & Regni expensis erant destinati, sine injuria possunt exigere subsidia, ad bella pro Regni tuitione, aut securitate suscipienda, vel sustinenda, aliaque gerenda negotia, publico bono utilia: quidni poterit Summus Pontifex, ijs, quæ à speciali Diœcesi percipit, ad ipsiusmet Diœceseos bonum expensis, ab omnibus alijs Ecclesijs, quibus prospicere tenetur, necessaria subsidia sibi assumere. Quarta potestas, inquit Cancellarius Parisiensis lib. de vita Spirit. anim. lect. 3. Naturaliter Papa conveniens habet, & requirit, ut tanquam superior & tutor, atque conservator honoretur, & juvetur ab omnibus.

Concilium Basileense, quod in id maximè incubuisse videtur, ut Summi Pontificis jura quam angustos posset, in fines arctaret, cum Annatarum usum abolendum decerneret, hoc tamen tēperamento Decretum lenivit; Pro oneribus autem, quæ ipsum (Romanum Pontificem) pro regimine universals Ecclesiæ subire, oportet, proque sustentatione sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, & aliorum necessariorum Officialium hoc sacrum Concilium, ante sui dissolutionem omnino debuit, & congruenter providebit. Quod si contingat, aliquam circa hoc provisionem non facere, per hoc eadem sancta Synodus, non intendit in aliquo modo præjudicare sanctæ Romanæ, & universali Ecclesiæ. Datum Basileæ in Majori Ecclesiæ in Sessione publicâ, celebratâ anno Domini 1433. 30. Julij.

Itaque Clerus Gallicanus, qui tam alacriter, tamque liberaliter Regi suo, tum singulis annis certa rataque, tum quinto quo-

que anno nova & extraordinaria subsidia confert, quibus Regnum ab hæresi liberet, aut tueatur, iniquus esset, si Summo Pontifici, qui totius Ecclesiæ curam ex Divino mandato gerit, ea sine injuriâ denegari posse arbitraretur, quibus ad rectum, & felix totius Christianitatis regimen indiget. Quæ injustitia clariùs appareret, si Summo Pontifici non tam pro sua, suorumque sustentatione, quam pro totius Ecclesiæ adversus Infideles defensione auxilium postulanti non obtemperaretur.

Nec justa esset excusatio, si objicerentur nonnulli abusus, qui fortè olim in exigendis hujusmodi subsidijs irrepresserunt, ut optimè notavit Joannes Gersonius, sex considerationes super statu Summi Pontificis & Dominorū sanctæ Ecclesiæ Cardinalium ponens. Statuit enim in duabus primis considerationibus dignitate, atque autoritate illius statûs; nec non jure capiendæ sustentationis, considerationem tertiam hanc addit; status prædictus non ideo perdit jura sibi convenientia, quæ posuit propositio duplex præcedens, si fortè fuerint abusus aliqui personales, olim, vel nunc inventi. Alioquin sic argueretur adversus omnem statum, nedum Ecclesiasticum, sed temporalem; quod dissipandus est, deferendus, & perdendus; quoniam in multis offendimus omnes. Gersonius tom. 1. col. 188.

S. II.

Quanta ex præactis fundamentis sic Summo Pontifici potestas in exigendis à Clero Gallicano pro Ecclesiæ universalis necessitatibus, præcipuè adversus infideles subsidia,

Ita pergit præcitatus Author cap. 11. Docet nos B. Paulus, & post illum unanimi consensu sancti Patres, ac Doctores Catholici, Ecclesiam corpus esse; ipsum (Christum) dedit Caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius, inquit Apostolus Ephes. 4. Adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore ejus, quod est Ecclesia. Col. 1. v. 14. Illius corporis membra sunt omnes fideles; Sicut enim corpus unum est, & membra corporis cum sint multa, unum tamen corpus sunt: ita & Christus. 1. Corinth. 12. v. 12. Vos autem estis corpus Christi, & membra de membro. ibid. v. 27.

Quæ autem sint membrorum inter se affectiones, & officia, explicat Apostolus 1. Corinth. 12. v. 25. & 26. his verbis; Id ipsum pro invicem sollicita sint membra. Et si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra: sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra. Quemadmodum igitur in corpore naturali sola membra rescissa, vel arida cæterorum dolore non afficiuntur; ita in mystico Ecclesiæ corpore, qui singularum Ecclesiarum infortunijs, ac persecutionibus non moventur, se viva mystici corporis Christi membra non esse, declarant.

Cæterum mutua illa membrorum sollicitudo non in solo sinit passionum communione, sed ulterius in præstandâ operâ & auxilio,

QUISITIO VII

S. I.

Vertical text in the left margin, partially obscured and difficult to read.

Vertical text on the right edge of the page, possibly a library or collection mark.